5·XII 18259/P
19/c
45

ANALECTA
AD
PESTILENTIAE HISTORIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM
UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XXVII. M. NOVMBR. A. MDCCCXLVII
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS COHNSBERG,
VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
S. ASCH, MED. ET CHIR. DR.
L. STADTHAGEN, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC.

PLAGUE: Mediaeval



VIRO ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO

A. G. E. TH. HENSCHEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD VRATISLAVIENSES PRACTICO, UNIVERSITATIS VRATISLAV. PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, COLLEGIO SUMMO ET AD MEDICOS ET AD PHARMACEUTAS EXAMINANDOS DELEGATO ADSCRIPTO, ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE, CAESAR. LITERAR. PISTOIENSIS, ARETINAE ET DEGLI INCAMMINATI MODIGLIANENS. REGIAEQUE ERPHORDIENS., SOCIET. REGIAE BOTANIC. BAVAR., PHYSICO-MED. BRUXELLENS. ERLANGENS. BONNENS. DRESDENS., HISTOR. NATURAL. MARBURGENS. WETTERAVIENS. HALENS., SOC. MED. PARISIENS., LIPSIENS. BAMBERG., UNION. MED. BORUSS BEROLINENS. HISTOR. VRATISLAVIENS. SODAL. VEL. SODAL. AB EPISTOL., BEROLINENSIS TOPIARIAE ATQUE GORLICENSIS PHYSICAE ET UNION. PHARM. BOREAL. GERM. SODALI HONORARIO, SILESIACAE PATRIAE CULTRIC. H. T. EX DIRECTORIBUS;

ORDINIS MEDICORUM GRATIOSI H. T. PRODECANO
MAXIME SPECTABILI

PRAECEPTORI SUMMOPERE VENERANDO

NEC NON

VIRO CELEBERRIMO CLARISSIMO

GUILELMO DANIELO BORKHEIM

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD VRATISLAVIENSES PRACTICO, A REGIS CONSILIIS AULICIS, SOCIETATIS QUAE IN PATRIA AD LITERAS AUGENDAS FLORET SOCIO, MEDICORUM SECTIONIS NUPER AB EPISTOLIS, COLLEGIO AD MEDICOS EXAMINANDOS DELEGATO ADSCRIPTO;

EGREGIE DE SE MERITO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS


D. D. D.

AUCTOR.

L. B.

Testimonia, quae hic primum publici iuris facta sunt, quibusque annotationes quasdam historico-criticas praemisimus, disciplinam pestilentiarum quodammodo excolunt, quae saeculo decimo quarto cum singulari saevitia genus humanum fere ad interitum vocabant, quaeque ut omnes pestilentiae universales qualis est earum extensio et vis letalis magnas reipublicae societatisque commutationes procreabant. Quum vero paucae tantum medicorum notitiae ex illo tristi tenebrisque involuto aevo ad nos pervenerint, eo magis gratum acceptumque mihi fuit, quod ab Henschelio Professore Illustrissimo, praeceptore de me optime merito, cui palam hoc loco gratias agens lubentissime officio animi grati satisfacio, illa testimonia ad dissertationem meam conscribendam acceperam. Iam cum Tibi quoque L. B. haec fragmenta ante haec quinque paene saecula conscripta foedaeque oblivioni nunc erepta tradam: non timeo, ne me vituperes ratus, rem a nostris studiis remotam itaque antiquatam, sive inscitiae et barbariei monumentum pro arte nostra Tibi afferri, quod

melius intactum fuerit relinquendum. At historia illius medicinae artis necessaria pars est universalis medicinae excultae historiae, historia illius temporis necessaria pars historiae ingenii humani. Res praesentes ex praeteritis demum intelliguntur, quumque ambae vinculo indissolubili coniunctae sint, spero fore ut etiam in iis, quae attulimus, hoc non prorsus desideretur. Mihi autem, virium mearum infirmitatis conscio opus est Tua benignitate, qua fretus hasce primitias Tibi trado. Vale.



PROOEMIUM HISTORICO-CRITICUM.

— les traditions sont des richesses dont la valeur ne doit pas s'éteindre, puisqu'elles offrent d'utiles exemples à suivre, des fautes ou des erreurs à éviter.

Récherches historiques sur la faculté de Médecine de Paris, par J. C. Sabatier.

CAP. I.

Antiquissimi, quos de pestilentia habemus, nuntii, ad ea paene tempora recedunt, quibus prima scriptorum testimonia apparent, neque sunt nisi notitiae prorsus universales, quas aut rerum scriptores aut poetae nobis tradiderunt. In quibus quum nosologica proprietas insit nulla, medicorum observationi nihil praebent, neque aut de lue, quae Mosis temporibus in Aegypto, aut de ea, qua Judaei et per deserta migrantes et Davide regnante laborabant, aut de vehementissima pestilentia, quam duabus aetatibus ante Troiae excidium in Aeginam insulam incidisse eamque devastasse Ovidius *) egregie narrat, aut denique de tot aliis luibus **) vix aliud quidquam coniicere possumus, nisi illas ex parte bubonicae pestilentiae simillimas fuisse, praesertim si ex Aegypto, vetere mali patria, oriundae erant. Ea demum pestilentia, quae a. 430 a. Chr. n. secundo belli Peloponnesiaci anno in Athenas incidit a Lacedaemoniis obsessas et singulari quidem coeli statu, quem Hippocrates, qui Atticae pestilentiae a se non observatae

*) Metam. lib. VII. v. 323—660.

**) cf. Schnurrer.

mentionem non facit, *) ipse κατάστασιν λοιμώδη vocat, Thucydidis accurata descriptione illustratur, ita ut nosologo quoque genus huius morbi, qui verisimile ex Aegypto in Graeciam transiit, cognoscere et definire liceat. **) Itaque errant ii, qui hunc morbum vel morbillos vel variolas vel scarlatinam vel febrim flavam fuisse contendunt, sed erat pestilentia orientalis, quamquam bubones adfuisse demonstrari non potest. At his ipsis bubonibus nosologicam notionem non necessario definiri pestilentiae historia eiusque naturae studio docti scimus. Singulare fuit per hoc morbi tempus Atheniensium studium atque ardor libidinum, quae res in aliis eiusdem generis luibus, in pestilentia orientali, in febri flava, in typho petechiali, qui morbi omnes communi typhi nomine sensu latiore comprehendi possunt, saepissime observata est. Praeter notitias parum sufficientes singulorumque scriptorum de variis luibus narrationes Thucydidi similes, ea pestilentia praecipue memoranda est, quae a. 628 p. U. c. in Numidia et in ora Africae septentrionali exorta est. Exstat enim locus Rufi apud Oribasium ***) de hoc morbo disserentis, ubi bubones ut symptoma eius eorumque patriam Aegyptum significat.

Antoninorum aetate a multis celebrata, quum civiles rationes omnes optimas fuisse nos dicamus, inprimis Marco Aurelio regnante, vehementissima lues, quam eandem ex Aethiopia et Aegypto venisse ferunt, Asiam minorem, Syriam, Italiam, terramque trans Alpes sitam diutius devastavit. †) Ex iis, quae de eius natura ac specie Galenus abrupte quidem sed accurate tradit, simillimus fuit hic morbus priori illi, quem Thucydides describit, pestilentiaeque bubonicae haud dubie valde propinquus.

Scriptores aequales hac in re singularia naturae portenta memorant, quorum auctores hic illic Christiani nuncupabantur, unde verba Tertulliani: „*Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non descendit*

---

*) Hippocrates epid. lib. III.

**) Krause et Hecker Atticam pestem genus quoddam esse dueunt magnae morborum familiae, quam Typhum antiquorum vocant.

***) Fridericus Osann de loco Rufi Ephesii mediei apud Oribasium servato sive de peste Lybica disputatio. Gissae 1833. Cf. praeterea Eisemannum in libro: Die Krankheitsfamilie Typhus p. 561.

†) Hecker de peste Antonina.

in arva, si coelum stabit, si terra movit, si lues .... statim Christianos ad Leonem." *) Eadem superstitione, eodem errore fanatico, qui Protei instar formas quidem externas mutat, revera semper idem manet, posterioribus saeculis, quum religio Christiana vel potius ii, qui Christianos sese appellabant, rerum potiti essent, Judaei ut auctores talium calamitatum ferro ignique vexabantur. — Post illam Galeni pestilentiam inprimis a Cypriano ecclesiae patre, similis lues satis accurate describitur, quae inde ab Aethiopia exiens ab anno 255 usque ad annum 265 iisdem naturae motibus una cum inopia et fame orbem terrarum vastabat, quamque Cyprianus ipse Alexandriae observavit.

Origo huius morbi, magna contagio saepe observata, excisio faucium, vomitus, intensiva canalis intestini affectio, sphacelus extremitatum aliarumque partium aegrotorum affectorum, veram orientalem pestilentiam Typho propinquam significant. Quod vero Episcopus Alexandrinus bubonum non facit mentionem, id aut negligentia factum est aut eo, quod non a medici statu rem describit: at si revera non aderant, tamen nihil est, quod nostram opinionem refringat.

Prima autem vera pestilentia bubonica confessa- est Justinianea, quae proprie complexus complurium habenda est singularium luium, quae inde ab anno 531 p. Chr. n. fere continuo per dimidium saeculum sese excipiebant. Bubones autem revera non sunt novum pathognomonicum signum, quamvis a multis pro recenti habeantur morbo, qui per terrestres, civiles, ethicos motus hominum genus invaserit. Quicunque autem continuationem seriemque rerum, ut alia ex alia nexa omnesque inter se aptae colligataeque videantur, observaverit, is vix poterit dubitare, quin tantae rerum commutationes, quibus historiae tempestates dirimuntur, cum morbi historia, immo etiam cum mutata humani generis natura arctissime cohaereant. Iam nullum tempus tam miris rebus adeo abundat quam priores aerae Christianae aetates. Qua nova religione quum hominibus beata post mortem vita aperiretur, cum qua haec nostra comparata inanis videbatur: omnia huius vitae firmamenta labefactari atque naturae vires nova doctrina impugnatae et in ultimum discrimen udductae orbem percutere atque dila-

---

*) cf. Schnurrer in libro: Chronik der Seuchen. Part. I. p. 93.

cerare videbantur. Namque terram intremuisse, lapides de coelo decidisse, mare terramque adscendisse, montes flammas eructasse, altas rupes concidisse, terrae hic illic patefactae hiatu multas urbes deletas memoriae produnt. Magnus hominum numerus aut tectis corruentibus concidebant aut turbulenti maris undis hauriebantur, magnus numerus luibus atque inopia victus peribant. Hae gravissimae res, quae universum hominum genus excidere videbantur, coniunctae apparent cum reipublicae societatisque humanae commutationibus, quae et ipsae magna illa populorum migratione incipiente pristinam historiae aetatem claudebant aliamque novam inchoabant. Itaque quum omnes naturae res arctissime inter se cohaerere morborumque originem cum reliqua humani generis historia coniunctam esse statui posse videatur: in illud tempus, quo et rerum principia et homines inter se pugnabant, pestilentiae bubonicae formationem ut novam morbi speciem referendam ducebant. Quae opinio accurata indugatione, qua hanc speciem multo antiquiorem esse probatur, prorsus refutatur. Concedi tamen potest, bubones pestilentiae Justinianeae - quemadmodum conditiones supra descripsimus — frequentiores atque validiores fuisse, quam unquam antea, quatenus certa testimonia habemus. Simillima huic rei historia est luis venereae.

Sed subsistamus paullulum in pestilentia Justinianea. *) Postquam singulares naturae res praecesserunt, primum a. 531 p. Chr. n. Constantinopoli per plures annos sed singulatim morbus apparebat. Nova et maiore cnm vehementia teste Procopio a. 542 in Aegypto superiore exarsit, Syriam invasit et reliquam Asiam minorem, deinde rursus Constantinopolin irrepsit et paullo post per totum fere orbem divulgabatur. In Italiam demum anno 565 incidit. Quinto decimo quoque anno rediens omnes paene Romani imperii orientalis incolas ceperat, dimidia fere eorum pars interierat, singulae urbes prorsus vacuefactae erant. Cuius morbi quamquam nullae medicorum descriptiones nobis supersunt: tamen ex historicorum **) narratione vera

---

*) cf. H. Haeser: Hist. pathol. Untersuchungen. Tom. I. p. 84. — Hecker: Annalen der ges. Heilk. 1828. Iena.

**) cf. inprimis Euagrius Ecclesiast. Hist. IV. 29. — Procopius de bello Persico. Lib. II. 22.

pestilentia bubonica fuisse videtur. Teste Euagrio in universum pestilentiae Thucydideae similis fuit, in singulis autem ab illa differebat. Ut quaevis primariae originis lues sic haec quoque sensim sensimque varias formas praebebat. Secundum Euagrium hae potissimum erant: mortifera colli affectio, quae utrum faucium gangraena an periculosi regionis colli bubones sit habenda, in medio relinquitur *(ἐς τὸν λαιμὸν κατήει)*, praecedens rubor oculorum, tumor faciei, denique vehemens alvi profusio *(γαστέρος ῥύσις)* sine accuratiore signo.

Denique pestilentia bubonica, quae angustiore notione vocatur, apparebat, unde etiam pestis inguinaria appellabatur, una cum vehementi febri, valido carotidum pulsu, cerebri affectione, symptomatis terribilium commentorum sive stupore manifestata etc. Saepe mors secuta est, quum omnes animi corporisque vires integrae esse viderentur, quae res in omnibus luibus observari solet. Morbum ex ea sequentem Procopius imprimis linguae torporem memorat: „*fuere qui ex morbo evaserint, contractae linguae vitio, ita ut ea deinceps, quamdiu vixere, vel balba, vel prae stupore inexplanata usi sint.*“ In illa pestilentia primum „*quaedam signacula*“ in domibus, utensilibus, vestimentis memorantur, quae postea saepius tempore luis cuiusdam, sed etiam alias, ut similia nostris quoque diebus, observata sunt. *)

CAP. II.

Post illud tempus pestilentiae nomen per mediam aetatem saepissime invenitur et nonnunquam haud dubie vera pestilentia bubonica hac voce significatur, nonnunquam etiam nomen est collectivum pro variolis aliisque exanthematis acutis, dysenteria aliisque luibus et morbis periculosis. Sic hodie quoque terribilissimum et pessimum quidque nomine pestis significatur, cum haec vox ut morbi significatio tantum pestilentiae bubonicae orientali et nescio an forte quadam iam

*) Antequam flava febris in America septentrionali a. 1798 exarsit, frequens metallorum rubigo et varia ex aëre sedimenta observabantur. Vincenzo Sette rarum genus rufi mucoris describit, qui a. 1819 in Padua provincia et vegetabilia et animalia inficiebat.

ex longo tempore remanserit. Iamque hoc loco tempus non est fusius indagandi, quibus de causis pestilentiae (orientales dico) tam frequenter per mediam aetatem inveniantur. Id notandum est, non solum in luis contagione auferenda et ab externo foco in Europae terras divulganda causam infuisse earum rerum, quae usque ad annum 1720 variis aetatibus redibant, quamvis saepe haec divulgatio pro causa iure haberi debeat. Sed verisimile est, istis temporibus causas primariae originis celeraeque vi miasmatis propagationis in ipsa Europa adfuisse. Quin etiam praetermissis telluris aërisque mutationibus, quae quam vim in pestilentias saeculis praeteritis habuerint vix possumus nunc discernere: tamen opinio nostra aliis quoque rebus fulcitur et sustinetur. Quae variae et in ipsarum luium historia inveniuntur et ex vitae societate, qualis tunc in Europa erat, sumendae sunt, quae rerum conditiones respecta valetudine, triste nobis praebent spectaculum. — Iam in sequentibus de famosa illa pestilentia verba facere in animo mihi est, quae nomine „nigrae mortis“ satis innotuit, simulque de testimoniis historicorum infra additis, quae quodammodo ad hanc luem referenda sint exponemus, pauca dicamus.

Scriptores aequales Asiam orientalem, inprimis Chinam huius pestilentiae patriam significant. Quum vero qualis illis locis natura eius fuerit ignoremus: hanc pestilentiam et nigram mortem plane eundem fuisse morbum contendere non possumus. Inde in istam regionem transiit, quam Kiptschak veteres nominabant inque terras adiacentes. Recentiori tempore gravissimi de illis regionibus nuntii nobis innotuerunt, scripti a spectatore et teste Gabrielo de Mussis, iuris consultore Placentino.*) Hoc auctore pestilentia in Europam transiit eo tempore, quum Caffa, cui hodie nomen Feodosiae est, a Tartaris obsidebatur, qua in urbe Genuenses versabantur, qui ex medio saeculo XIII colonias ibi habebant. Inter Tartaros morbus primum exarserat et foetore corporum mortuorum, quae hi per tormenta in urbem iaciebant, latius propagatus esse fertur, quum cadaveribus et coacervatis aër et in mare deiectis aqua inficeretur. Prae-

*) Hoc gravissimum testimonium primum ab Henschelio V. Cl. publici iuris factum est ex Codice bibliothecae Rhedigeranae Vratisl. in Haeseri Archiv f. d. ges. Heilkunde tom. II. sect. I. p. 26.

terea vero de Mussis diversus a superiore descriptione propagationem pestilentiae ut contagione ipsa effectum significat. Namque in nave ex illa regione adveniente aegrotos pestilentia affectos et per hos morbum Genuam, Venetias inque alias Christianorum regiones importatum fuisse tradit. Reliquos eius progressus non accurate possumus sequi.

A Ponti Euxini litoribus quoquoversus pestilentia propagabatur. Mox Constantinopolin, ubi Joannem Cantacuzenum antea imperatorem, cuius filius ipse morbo periit, scriptorem invenit, inque portus Asiae minoris, Syriae, Aegypti superioris invasit, qui ut sedes mercaturae sic infectionis erant foci.

Itinere, quo tunc homines mercaturam faciebant, progressa pestilentia commerciumque hominum plerumque secuta, paucis regionibus atque urbibus exceptis, ubique vastitatem intulit. In Europa primum Italiam (a. 1347) infectam fuisse morbo supra iam diximus, eodem modo etiam in oram Francogalliae meridionalem invasit. Sequenti anno pestilentia iam per totam Francogalliam et Germaniam est propagata, quamque in hac terra maxima depopulatio demum a. 1349 fiebat. Eodem anno mense Augusto in Angliam, Daniam, Sueciam, Norwegiam irrepsit, in Russiam vero demum a. 1351, quo facto teterrimus morbus tota Europa infecta paene ad incunabula recesserat.

Quo tempore illa pestilentia exorta est, eodem etiam magni naturae motus fiebant, quorum pristina sedes in China inde iam ab a. 1333 erat. Rerum principiorum tumultus, qui usque ad a. 1347 ibi saeviebat, terrae motus, siccitas, inundationes, locustarum agmina, frugum annona, nimia inferiorum animalium abundantia, quae saepe una cum maioribus luibus coniuncta iisdemque incognitis conditionibus subiecta videtur, denique universalis inopia ac fames morbum praecedebant. Similia etiam in Europa inde ab a. 1333 memorantur, ex quibus potissimum nebulae sunt venenosae, quae ab Oriente exeuntes saepissime pestilentiam antecedebant, id quod simili modo factum est tempore Cholerae morbi.*)

*) cf. Buzorini in libro: Luftelektrizität, Erdmagnetismus u. Krankheitsconstitution. Constantiae 1841.

Ut vero, quale tum fuerit aetatis ingenium superstitiosum, sidera arctissime cum humani generis fortuna omnibusque gravioribus rebus coniuncta esse putabant, utque in iis tanquam literis coelestibus sortes suas legebant et ex iis pendentes faciebant: sic tum quoque magna erat coniunctio superiorum planetarum: Saturni, Jovis, Martis die 24. Martis 1345 in signo aquarii, ut Guido de Cauliaco narrat, id quod a medicis et viris doctis praeter Dei iram pro praecipua causa et nuntia nigrae mortis habebatur.

Iam de vastationibus hac pestilentia illatis si quaerimus, difficile est de numero hominum ea confectorum certi aliquid proferre, quum statistice adhuc ignota, haud dubie quae hac de re narrantur, tantum propius ad veritatem accedunt. Id tamen constat, numerum hominum hac morte absumptorum tantum esse, quantus nunquam antea in historia epidemiarum narratur. Quum ubique fere per quinque septemve menses saeviret, verisimile fit, non modo urbes sed etiam totos pagos prorsus vacuefactos iacuisse. In Francogallia multis locis decimo demum cuique parsum est, Parisiis in nosocomio, cui nomen est Hôtel Dieu, plus quingenteni homines quotidie mortui sunt, Viennae circiter milleni duceni. In Francogallia, Hispania, Italia tres quartae incolarum partes, in Germania quarta pars, in Anglia numero fortasse in falsum aucto novem decimae partes, in Suecia et Norvegia duae tertiae absumptae esse feruntur. Hecker, quum circiter quartum quemque hominem mortuum esse statuat, in Europa ducenties vicies quinquies centena milia homines morte absumptos existimat.

Nihilosecius tamen magna generis humani familia damnum epidemia illatum celeriter reparabat, quum morbum sequenti anno singularis mulierum fecunditas exciperet. Iam per epidemiae tempus ipsum omni morum integritate perfracta coëundi ardorem magnopere auctum observabant. Cuius rei causa non modo inest in morum depravatione, quae epidemiis effici solet, quum homines exiguam vitae brevitatem omnibus voluptatibus explendam censeant, sed auctum libidinis desiderium, frequentes mulierum conceptiones, quae ubique fere cum typhi generum epidemiis coniuncta apparent, effectu morbi causae ubique propagatae provocata videntur. Quam rem illi morbo peculiarem esse, id fortasse probat, quod tempore Cholerae, quae hic illic non minus quam pestilentia saeviret, illud non observabatur,

immo contrarium factum est: membrorum pudendorum debilitas et minuta conceptio mulierum.

Licet perpaucae medicorum observationes de epidemiae natura ex illo tempore nobis servata sint: tamen ex iis possumus concludere veram orientalem pestilentiam fuisse, cuius symptomata nunc quoque apparent. Quo consensu, ut maiorem fidem illis testimoniis habeamus, efficitur. Primum iam illud malum ut pestilentia orientalis significabatur bubonibus et anthracibus, qui cum hoc morbo pyretico plerumque coniuncti esse solent. Propter hos anthraces et propter nigras in cute maculas, quae diathesin putridam notabant, in Germania et in terris septentrionalibus hanc epidemiam vocabant „*nigram mortem*“, in Suecia *diger- Doeden*, in Dania *sorte Dod*, in Islandia *Svarter Dandi*; in Italia *la Mortalega grande* appellabatur.

Praeterea autem alia accedebant mala, quae interiorem omnem vitam infectam notabant, quaeque aliis temporibus nusquam ita observata fuerant, inprimis vehemens sputum sanguinis, id quod in terris occidentalibus praevalebat. Iam in Europam transeunti epidemiae magna symptomatum varietas fuit, ut de Mussis memoriae prodit. Qui simul bubonum carbunculorum, soporis, sputi sanguinis mentionem facit quamquam nulli horum symptomatum quidquam auctoritatis tribuit. Neque negligenda sunt pathologicae investigationi ea, quae idem Cantacuzenus et Dionysius Secundus Colle hac de re tradunt, quum Bocaccio, Florentinae epidemiae spectator ac testis, qui poetico colore eam describit, sputum sanguinis non notet. Guido de Cauliaco, clarissimus ille medicus, qui morbum Avenione observabat, duos modos disertis verbis significat: „*Incepit autem dicta mortalitas nobis in mense Januarii et duravit per septem menses. Et habuit duos modos. Primus fuit per duos menses cum febre continua et sputo sanguinis. Et isti moriebantur infra tres dies. Secundus fuit per residuum temporis cum febre etiam continua et apostematibus et anthracibus in exterioribus, potissime in subasellis et inguinibus. Et moriebantur infra quinque dies.*“ Referri poterat huc etiam Chalinus de Vinario, nisi descriptio eius magis ad pestilentiam universalem spectaret. In eo autem omnes fere illustres scriptores consentiunt, permagnum esse mali contagium.

Iamque ex omnibus his variis descriptionibus id pathologico perscrutatori elucet, morbum principio quodam miasmatico vitae humanae infestissimo effectum fuisse, quod inprimis respiratione in corpus irrepsit ibique celerrime putridam tanquam sanguinis dissolutionem simulque directam centrorum nervosorum affectionem effecit. Quae vis, deletrix ambarum vitae conditionum, seriem symptomatum plus minus constantium praebebat, quorum periculum, continuatio, coniunctio veniendique tempus valde inter se differebant natura tamen morbi nihil mutata. Unde illa symptomata, quae affectionem nervorum systematis manifestant, inde a simplici narcosi quadam et temulentia, quae efficit, ut passus hominis pestilentia infecti passui ebrii similis sit, usque ad apoplexiam subito mortiferam, quae res saepius observata est, unde illa gangraena pulmonum coniuncta cum sputis sanginis ex vasis pulmonalibus, intumescentia et degeneratio glandularum lymphaticarum cuti adiacentium telaeque cellulosae illas obtegentis, denique illa tam varia affectio apparatus tegumentorum corporis:

..... Facies non omnibus una,
Non diversa tamen.

Iam quod attinet ad medicorum opiniones de hoc malo deque curatione eius, si prophylaxin et therapiam respexeris, ne idem iterum retractemus, ad ea quae infra sequentur, lectores delegamus. Coniuncta enim erat nigra mors cum aliis vehementibus epidemiis tristem illam ducem prosequentibus, quarum praecipuae plus minus patentes annis 1361, 1369, 1372, 1382 exortae sunt. Vim autem morbi his deinceps annis gradatim imminutam esse infra videbimus. Quam quidem ad aetatem testimonia a nobis allata ex parte tantum respiciunt neque sunt non mancae, tamen in sequentibus de his agamus respectis paucis illis nuntiis, quos medici aequales scribebant.

CAP. III.

Scripta infra addita si perlegerimus statim videbimus referendum esse argumentum eorum non ad unam illarum epidemiarum sed magis ad omnes et inprimis ad pestilentiam, qualis est notio eius univer-

salis, qua in re haud dubie ea morbi species, quam extremam habebat, respiciebatur, cuiusmodi sunt gravissimi illi nuntii Chalini de Vinario, „*trium pontificum, dum Avenione consisterent, medici primarii.*“ *) Facta nosologica, quae scripta illa respicere videntur, tenuiter tantum et imperfecte in iis tractantur, cuius rei causa — si partem nuntii a Joanne Jacobo conscripti exceperis, cui hac de re etiam singularis quaedam observatio tribuenda — in fine proposito quaerenda est, quippe ut adumbrationem communi iudicio accommodatam prophylaxeos et therapiae contra pestilentiam adhibendae continerent. Iamque opinamur, universam illam epidemiarum seriem, in qua antea observata explanationem testimoniorum tractatorum positam fuisse putamus, certe signa ac naturam nigrae mortis, multiformis illius vehementissimae pestilentiae bubonicae, in se habere. Et revera in his scriptis ex symptomatis praecipue mentio fit bubonum et degenerationis morbosae omnium glandularum cuti adiacentium, quum de periculoso sputo sanguinis non sit sermo. Quamvis autem hoc symptoma per aetates observatas non inveniatur, tamen opinio nostra haud infringitur, quum sciamus, neque hoc, neque bubones ipsos perpetuum fuisse signum nigrae mortis ne in summo quidem acumine. Quibusdam tamen morbi aetatibus etiam hoc disertis verbis a scriptoribus affertur, veluti a Muratorio a. 1631, a Chalino de Vinario a. 1382. Imminutam gradatim paullatim autem fuisse vim letalem morbi, apud eundem scriptorem legimus: „*Prima (1348) duplo plures sunt interempti quam servati, nullo paene superstite, qui prehensus foret. Altera (1361) occisi tam multi, quam qui superfuerunt sanatis paucissimis, quos malum affligisset. Tertia (1373) X quisque obiit multis ex malo curatis, haec vero, quae quarta est (1382) XX quemque interficit quam pluribus evadentibus.*“ **) — Iamque transeamus ad Joannem Jacobum, ut ex iis, quae nobis supersunt, eius de pestilentia opiniones cognoscamus. Neve iniustius de eo indicemus, necessario tempus, quo vixit, respiciendum est. Aetatis autem ingenium erat imperitum, liberi arbitrii impotens, super-

*) cf. Haeser hist. path. Unterh. tom. I. p. 124.

**) cf. Haeser hist. pathol. Unterh. part. I. p. 127.

stitiosum, fanaticum, inanes notiones inepte volvens. Quumque rerum naturae notitia, firmum medicinae fundamentum paene deesset, quomodo haec ars florere poterat eo tempore, quo Roger Baco illustris ille veri videndi perscrutator, civis tanquam posterioris aevi propterea quod aequales erroribus liberare conabatur, ipse libertate privatus est. Ut ceterae disciplinae omnes sic medicinae quoque ars somnio quodam involuta erat, quum ingenium hominum illo sôpore oppressum teneretur, quod peculiare est medio aevo. Inde ira Petrarcae in aetatis suae vulgus medicorum; inde Bocaccii querela, numerum quidem eorum permagnum, notitias autem minimas esse. Nihilosecius tamen in medicinae quoque arte aliquot viri excelluerunt, tanquam praecones scientiae regenerandae, ut Guido de Cauliaco, Chalinus de Vinario, alii.

Quamquam ne hi quidem falsis aetatis opinionibus prorsus liberi erant atque in Arabum verba iurabant: tamen hic illic magis suo sibi iudicio in cogitando et agendo utuntur, quam ceteri collegae. Chalinus de Vinario Joannem Jacobum pro claro habet medico. Iamque videamus, qualis sit eius opinio de causis et natura pestilentiae. Tres morbi causas affert, quarum unam radicem inferiorem, alteram radicem snperiorem, tertiam denique utriusque coniunctionem significat. Prima certo loco inhaeret plus minus extenta oriturque ex mala exhalatione variisque putridis emanationibus (conditionibus telluribus); altera ex astris gignitur (conditiones cosmicae quae dicuntur) pravitate aëris sensibus haud percipienda non adducta, quare vis quam exercet in depravandos „*humores spiritusque*“ dynamica tantum est; tertiam denique utriusque colligatione dari supra iam diximus (conditiones cosmico-tellures). In hac postrema causa notio constitutionis epidemicae fere significata est, quae cum diversos morbos, tum veram pestilentiam movet. — Quae notiones non uni Joanni Jacobo peculiares sunt, multi medicorum aequalium easdem afferunt quamvis in singulis paullulum diversas. Guido de Cauliaco similiter memorat „*causam universalem agentem*“ *et causam particularem agentem.*“ — Chalinus verba facit de „*causa superiore et inferiore.*“ Proximus ei est Galeacius de Sancta Sophia, qui accurate discrimen facit inter pestilentiam et epidemiam et endemiam; notio universalis priorum duarum prorsus complectitur in constitutione epidemica, mul-

torum et diversorum matre morborum. Haec omnia discrimina subtilissime etiam divisa, quae deinde statim ad praxin adhibebantur, magis quidem notionibus explicata, quam ex vivida naturae perscrutatione orta sunt, quale fuit ingenium illius aevi, quod naturales quoque notitias ea ratione, quam „a priori“ vocamus, prorsus tractabat. Sed quomodocunque haec res se habet, aestimatio cosmicorum momentorum agnoscenda est. Iamque nostris quoque diebus quamvis naturalis scientia empirica tantos progressus fecerit, tamen epidemiarum ex momento cosmico — telluri genesis nodus quidam Gordicus est nondum solutus, quem tanta multitudo diversissimarum conditionum fecit et ad quem acuto gladio expediendum alter Alexander nondum venit, quum omnia experimenta hac de re adhuc instituta ad irritum paene omnino sint redacta, tantumque aperta illarum rerum inscitia nobis profuerint. Quamquam itaque illi medici contra statuebant, astra certam quandam vim in res terrestres habere: tamen ratione quadam impedimur quominus hanc fanaticam audaciam prorsus condemnemus. Namque ut de temporibus recte sentiamus: non ex forma externa sunt diiudicanda sed ex idea iis insita. Illud autem ut statuerent, factum est eo, quod omnes naturae res et vires in unum ordinem mundum complectentem acriter coniungebant, quae opinio ex antiquitate, (quae magis ad contemplationem quam ad experimenta tendebat) enata et philosophia neoplatonica accepta et exculta, etiam a schola quadam recentioris temporis ut sua sibi vindicabatur. Usque auctoritatem exercebit, quamvis saepissime et inprimis aetate haud ita remota eaque haud scio an magis quam tempore aevi medii superstitiosi perperam intellecta et male usurpata sit, ut animos turbarent averterentque a serio sobriae scientiae naturalis. — At missis his ambagibus revertamur ad Joannem Jacobum, et apud eum haec quoque notemus. Etenim si contendit, contra vim radicis superioris commorationem in certo quodam malo aëre interdum melius tueri, quam in bono, rursus cum universa aequalium opinione prorsus consentit. Interpretabantur enim hanc rem vere observatam ita, ut aërem densioris cuiusdam naturae impenetrabiliorem esse dicerent astrarum momento, quum haec ut causa inferior arceret superiorem. Quae explicatio quamvis stulta sit: tamen facta quaedam, ad quae haec spectat, non sunt neganda. Sic aequalis scriptor (Dionysius

Secundus Colle) de nigra morte narrat: *) „*Coriarii, qui latrinas exportant, hi etiam, qui Xenodochiis inserviunt et locis foetore gravi molestis, omnes fere a peste immunes conspiciebantur.*“ Notum quoque est, postquam auctoribus medicis tempore pestilentiae, quae Carolo II rege Londini saeviebat, cloacae patefactae sunt, morbum statim minutum esse. — Similia recentiori tempore testatur praeter alios etiam Parent du Châtelet literis ad medicorum Parisinorum ordinem datis, quamvis certae quaedam doctrinae sufficientem explicationem non sint assecutae. — Morbus ille secundum Joannem Jacobum, si naturam illius respexeris, ad putridas febres pertinet, ortus ex cordis sanguine vehementer venenato, id quod inhalatione aëris adeo pestiferi adducitur. Etiam hac in re cum aequalibus suis consentit. Alia deinde opinio ubique propagata in scriptis infra additis invenitur, de morbi contagione. Profecti ab hac opinione vitanda contagione efficacissimam causam occasionalem mali crescentis tolli posse putabant. Itaque iam in hoc tempus paullo post illa testimonia incidunt quaedam tutamenta legibus sancita, quorum primum et valde severum a Bernabo vice-comite a. 1374 die 17 Ianuarii profectum est. Immo de contagione opinionis eo procedebant, ut hanc, quemadmodum Chalinus disertis verbis testatur, solam propagationis causam esse ducerent. Attamen scimus, quotiens usque in saeculum decimum octavum Europae, quamvis omnia quae importabantur, valetudinis spectandae causa in statione retinerentur, pestilentia orientali vastatio sit illata. Observationibus recenti tempore diu et accurate institutis illa de absoluta contagione opinio valde mutata est. **) Quod inprimis ad facilitatem in Europam transeundi pertinet: prae ceteris maxime respicienda est mutatio omnium societatis reique publicae saeculis praeteritis conditionum. Itaque cum probabilitate quadam statuere possumus, pestilentiam nunc apud nos non posse propagari, quamvis, utrum tempus valetudini spectandae praestitutum ad usum sit accommodatum, annon, hic non pro certo diiudicetur, qua de

---

*) cf. Rapport à l'académie Royale de Médecine sur la peste et les quarantaines fait au nom d'une Commission par Mr. le Dr. Prus. 8. 1050 p. J. B. Baillière. Paris 1846.

**) cf. Haeser, hist. pathol. Unters. Part. II. p. 528.

re adhuc sub iudice lis est. Iamque restat, ut pauca de praeceptis prophylacticis et therapeuticis quae in illis testimoniis insunt, dicamus. Quatenus haec ad diaeteticam spectent, ex parte laudanda quidem sunt; invenientur etiam in Germanis testimoniis, quae memoriam doctrinarum scholae Salernitanae afferunt. Quum morbum maxime contagiosum esse putarent, fugam et vulgi congregati devitationem suadebant. Auxilium arte medicinae allatum proficiscebatur ab opinione, causam sanguine venenato inprimis cordis effici. Inde prophylacticae evacuationes sanguinis missione et alvum ducentibus inprimis aloë compositis, medicamina ad confortandum cor, theriaca omnibus accepta, acida mitia, aëris purgatio suffimentis et igne, id quod iam ab Hippocrate commendatur. — Sic aegrotis ipsis venenatus sanguis missione subtrahitur, quum theriaca, Bolus Armenicus, acida mitia, potationes cor confortantes, medicamina more Arabum composita pravatam corrigere putarentur. Ut bubones ad suppurationem perducerentur, inprimis emplastra emollientia et cataplasmata adhibebantur iique tum incidebantur. Sanguinis itaque missionem saepissime factam esse videmus, quum simul locus, ubi sit facienda, coniecturis de vasis distributis factis religiose definiatur. Prophylactica sanguinis missio ut cautius adhibeatur Joannes Jacobus prudenter suadet. Nihilosecius tamen hunc eundem ut alios ineptiis non esse liberum, vix est addendum. Chalinus, medicus ille celeberrimus, eo excelluit, quod sanguinis missionem proprium pestilentiae remedium esse negat, permittitque eam tantum in magna plethora; etiam plures aegrotos sanguinis missione non facta convalescere videbat, quum eorum, in quibus adhibita erat, multo maior pars moreretur.

Quodsi temporibus cultioribus medicinae ars parum contra pestilentiam universalem valet: quanta mala illa ratione levi et perniciosa adduci debebant!

Et revera reliqua epidemiarum historia comprobatum est, hac methodi epidemia (sit venia verbo) plures fortasse morti oblatos esse, quam ipsius morbi epidemia. Nihilosecius tamen illa ratio paucis mutatis usque in saeculum decimum octavum mansit cum toto hoc vigore, quo inveteratis opinionibus praeiudicatis veritatem saepe videmus devictam.

APPENDIX.

DOCUMENTA MSS. E CODD. BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS AB ILL. HENSCHEL DESCRIPTA MECUM COMMUNICATA.

I. F. 334. p. 254.

INCIPIT REGIMEN PESTILENCIE.

Dis ist eyn sin der hogistin meystir von paris vor dy sterbunge der drusze adir pestilencia.

Weme dy drusze werdin czwischen den schuldern der sal lasin dy houͤpt adir in deme slaͤfe nit y koppin.

Weme sy werden an deme halse addir an deme houpte der sal lasin dy houpt adir uff beydin dǔmen.

Weme sy werdin an der linkin sytin adir an deme arme der sal lasin dy milcz adir czwischen deme clenstin vingere vnd deme lamelosin an der selbigin sytin.

Weme sy werdin an der rechten sytin der sal lasin dy lunge adir czwischen deme lamelosin vingere an der selbigin sytin.

Weme sy werdin an deme herczin der sal lasin dy milcz adir an deme clenstin vingere vnd deme lamelosin an der rechtin hant.

Weme sy werdin an deme schosze in den hege druszen addir an deme beyne der sal lasin dy gicht adir czwischen deme clenstin czhee vnde der nestin darby.

Weme sy werdin un deme rechtin beyne in den hege druͤszen der sal lasin dy froͤwen adir innevendig des beynes.

Weme sy werdin an deme rechtin beyne der sal lazin dy adir dy do geyt ober dy grosse czhee.

Wer do slefit weme is ankummet deme hilft keyn adir lasin nicht dar vmbe sal man sich bewaren vor slafin.

Weme dy drusze begynnen czu sweren der zal nemen senff vnde hollunder blettere vnde stos das gliche vnd lege das uff dy swuͤlsch.

Nv sal man wissin wy man sich czu der czyt sal huten. Man sal nemen salwien ?) blettere vnde brambern blettere vnde hollunder blettere glich vil vnde sydin das in lutern wyne vnde thu dar czu gestossin ingeber vnde trinke das mittenandir er man us deme husze geyt in dy luft, vnde nym eyn staczke ?) wyes brot vnde las das wechin dry tage in gutem essigke vnde wermiten vnde rute gestossin gliche vil vnde las das trocken werdin vnde halt das vor dy nasze er du us deme husze geyst in dy luft.

Vnde in der selbigen pestilencien czyt sin aller leye fruchte der bohme vngesunt ane waͤlsze nuͤssze vnde hute dich vor obirgin essin vnde trinkin.

Ouch sal man aller leye spise mit essigk gekocht essin. Suͤestu kranke luͤte dy dy suche haben, dy fluch vnde blib mit nichte by en. Och sal man flyn dy menunge ?) der luthe. ?)

Schust dir etwas uff zo nym ruthe martir ?) smertille ?) vnde wermitin woͤrcziln gestossin vnde lege das dar uff addir dynen eygin mist.

Adir nym rute figen vnd walsche nuͤsse eynes glich vil als des andern vnde iczlichs besundirn wen du das wol gestossin host so stos is denne mittenandir vnde is das alle morgin nuͮchtirn das bewarit dich vor der vorgift der vnreynen lufft.

Aliud ex . . . . wedir dy vorgiftige luft des sterbens nym wermithe vnde lorbirn vnd mache da von eynen roch vnde wege den roch in dy naze lochere vnde in den hals.

Rute ?) gestosin vnde gesottin in aldn bire abend vnde morgin getrunkin nuͮchtirn werit dy drusze.

Gerstin mel gekocht, als eyn brye vnde wech gemacht mit szefin vnslet vnde das gessin vnde daruff geleyt das vertribet dy drusze.

Eyn kreftig syrop wedir dy czů kunftige sterbunge: nym salwie ruͤte ysop wermite vnde martir vnde grosze nusse mit den schalen glich vil eyns als des andirn vnde suͤt das mittenander wen is wol gesottin ist zo sege is durch eyn tuch vnde wringe is wol auͤs zo nym dry acas ??) vnde honing szo vil al des saphes ist.

Vnde koͤche das alle czu sampne in eynem nŭwen tophe der do veste ist vnde vorglesit ist vnde nym war das is nicht obir ghee vnde las denne den syrop kalt werdin vnde nym io des morgens eynen troppen vnde io des abendes wen du dich slafin legist. Och nym eynen troppen in eynen leffil vuͤl warmis birs vnde trink das zo bistu sicher den tag vnde nacht.

Vor der czukommene sterbunge. Ouch sal man flyen dy batstuben. wil eyn man badin, wen du wilt us gheen zo nym eynen troppen syrop vnde trink den, das macht dir czu hant eynen sweys der alle gift krefticlichin von dir trybin.

Wen du dich gelegist vnde warm gedeckest eyne halbe stunde so wirstu abir der suche ledig.

Nim ficus ruta jeiuno stomacho.

Signa mortis hec sunt *primum* si pestilenticus non dormit; *secundum* si non commedit; *tercium* si quirit ?) diversa loca dormiendi; *quartum* si semper habet vomitum; *quintum* si habet difficultatem anhelitus; *sextum* si habet multas sedes; *septimum* si fatuizat. Ex tunc detur sibi de oleo leticie. Et inungatur in nomine domini etc.

I. F. 334. p. 288.

In gotis namen wil ich scriben wy sich der mensche haldin sal der da gesunt ist vnde doch yn deme lande ist da is stirbit. Vnde ouch wy man sich haldin zal dem dy pestilencia an kummet.

Czu dem erstin mal so ist nicht bessers daz man czyhe da dy pestilencia nicht en sy in eyne andir luft addir lant. Mag abir des nicht geseyn so neme her em eyne wonunge da nicht wyndis yn blase. Wenne dy winde furen med en dy wnreynycheid yn den lufthin. Vnde yn eyme huze daz nicht vil fuchtenisse yn sich habe darvmbe ist daz bessir daz man vndene yn deme huze wonet. wen obene in der hoe. durch der winde wille dy schedelich syn. Vnde dy fenstere sollin syn geslossin keygin deme mytage addir dy glaze fenstere dor vor. Vnde eyn kol fur ist gut des nachtes yn der kammere daz trokkend dy luft vnde dar yn geworffin wachandelbern lorbern vnde dorre wormuthe.

Nich ist daz gut daz man erbeite dorch swiczczens wille. Man habe denne des erbeittens wnde des swiczczens eyne gewonheit. Baden ist nicht gut is were denne eyn fulliger mensche der io des badens gewone were so mag her baden abir doch seldenre wenne czuuor. wenne dy vorgiftige luft wnde dy kelde lichtlicher den lichenam noch deme bade dorchgeid der vor.

Man sal sich ouch hutin vor obirsloffikeid trinkens vnde essens. Vnde esse alle tage eyn gerichte daz mit essike gemacht ist addir eyne salse mit essyche vnde Castrinen fleis Kelbirn lemerin czyczkelyn vogele dy nicht yn dem wassere geyn, hunre Kaphanen faysan vnde raphunere lerchin. Met so getante worcze Ingebere. negilkin. Kobeben Cardomamen vnde safferan daz gekrute ist nicht czu heisser nature Pheffir adir Pariskorne ?) synt czu hyczir. Ouch also man dy luthe (nicht) wol gemydin kan. Do ist daz gar gud daz man Knobbeloch Ist.

Man sal myden dy fische dy nicht flumen han. adir dy nicht yn frischinn wassir geyn.

Eygere gemacht mit essichke ader med agreste synt gut.

Melch ist nicht abir sure melch do puttere vs genomen ist dy ist gud.

Quetten Myspelin vnde weynsure epphele Malogranat sint gesunt. Merklichen sal man nemen des morgens eynen bissen brotis addir czwne gerost yn essichke geneczt, vnde wyssen ingeber adir cyamomum dar uff daz hat vil lutin gehulffin.

Des morgens sal man essen eyne walsche nůs adir czwe sunderliche vnde merklich alle meistere scriben daz pyllen dy sint alse erweis Kornre gros. dy synt gar gut vor dy Krankheid vnde dy sal man machen von Oloe von Mirre vnde von safferane vnde mit wyne. wer dy zcw der wochin czwer nuczczed. funfe czu eynem male. adir sebenne darnach daz mensche gros vnde stark is. an dem lybe so kummet em daz sterbin nicht an. vnde hette her iczczunt dy suche Nymmet her sy yn cziten is vor geid em dar obe. dy selben pyllen findit man yn den apoteken addir zcu den Kremern. Man mus sy gancz yn slyngen. Wen sy gar bitter syn des abendis vor deme bette.

Czu dem letsten male wy sich eyn mensche haldin sal ab em daz an kommet wen daz howpt gar we tut vnde begynnet rot an

deme antlecz czu werdin vnde hyczid wirt syn lip vnde fyndet her denne swulst vndir deme arme so zal her von stadin czu der Mennych adere an dem selbigin arme vnde halde galgan yn deme munde so schedit sich daz boze blut von deme guthin. Dar nach lasse man an dem andirn arme fel so hilfft daz vnde wert gesunt werd abir eyne swulst an deme houpte so lasse her fel an der houpt adere uf der hant by deme dŭmen.

Werd is em an der brust so lasse her an der epatican adir lungadern yn deme arme adir uf der hant by deme klenen fingere an der selbigen sithen. Ouch ist dy mennich adir gut dar zcu gelassen.

Verd is abir yn den hege drusen so sal man abir lassin dy adere vndir deme cnekele ynwendig des fuses fel weyning lassin hilft weneyg dy adere heisset dy frawin adere. Wert is dir an dem hercen so las dy mylcz adere an der rechten hant czwischen deme kleynen fyngere vnde deme namelosen.

Wert is dir an der linckin syten yn den hegedrussin Der lasse dy gich(t) adere czwisschen der cleynen cze vnde der nestin da by an der selbigin sithen.

Verd is an deme rechten arme der lasse dy lung adere an deme kleynen fingere an der selbigen hant.

Verd is an dem houppte adir an deme halse zo las dy howit adere uf beydin dŭmen.

Verd is an dem lincken arme zo las dy mylcz adere czwischim dem mittelsten fyngere. Vnde deme namelosen an der selbigin sithen.

Vert is an dem rechten beyne yn den hegedrusin so las dy frawen adere inwendich deme fusze an der selbigin sitten.

Werd is dir an deme rucken zo las dy adere dy da geid obir dy grosse czee.

Wen is dir an kommet zo hut dich vor slaffe vor obirrume essen vnde trinken vnde vor zere gesalcener spyse vnde vel gesammelten folke.

Werde is sache daz nicht gelassen muchte adir welde adir konde adir nymandis hette der daz konde addir ob is Kindere weryn. so sal man nemen weynyng dryakel alse eyne hasil nus gros ader eyn wenning mer vnde thu daz yn warmen weyn addir yn bir vnde

mysche daz wol vndir nandir vnde trink daz von stadan vnde lege sich yn eyn bette vnde decke sich warm czu vnde kan do methe swiczczen so werrit em nicht got welde en denne io habin. Obir alle ding sal man em io werin daz sy nicht slaffin noch deme lassin adir czu hant wen is en an kommet denne der slaff ist den luthen gar schedelich vnde io man sy lengher von deme slaffe heldit is sy tag adir nacht io is en bessir ist Dy weyle daz dy plage werrit so sal man mydin dy stetin vnde dy luthe do met dy phlage beuallin seyn. Ouch sal man des abendes yn dy Kammere yn vorslossenre tör vnde fenstern eyn kol fur habin etc.

Wenne dem menschin der leip wnde daz gemuthe swer wirt so sal man sanffmutig vnde frolich seyn vnde keyne swere sorgfeldige gedancken habin Sagit man von deme sterbin daz sal man achten so mans nicht horte wen des morgens vs deme bette steyt so sal man essen eyn wenyng frischir rute dy gewaschin sy met salcze Wnde dar anoch vndir las eyne walsche nus addir czwu vnde trage yn der hant eczwas daz do wol ruchit sicud pomum mambre parysappil addir anders icht gutes etc.

Disse arcztige ist vs gegebin czu praghe yn deme vorgangen sterbin von den behendisten vnde klugistin meistirn vnde ist vs geczagin vs den buchirn galyeni vnde avicennen vnde ypocratis der krychischin erczte vnde is gesand dem Keysere daz her do methe der pestilencian wngink. Nach Christus gebort tusent iar vnde dri hundirt iar darnach in deme czwey vnde sebentzigesten iare. Ouch netze alle morgin dyn antlitz dynen munt dyne hende met essicke darynne vorgangin sy eyn weyning dryackels vnde trog by dir eyne geroste Rynde brotes dy yn essicke genetzet sy vnde ruch daran so schadit dir nicht keyn stangk vnde schutte daruf weysin ingeber.

Wilt du dich vor der suche beware so nym salvie vnde brombern lop vnde holledorn loub igeliches gliche vil, vnde wissin ingeber vnde trinck da von blancken weyn des morgens czu irst, adir nuchtern wnde is koste dy gut czu uor ralbene seyn, vnde trinck guttun gesunden trangk vnde is keynen kol adir andir fruchte wen keynesleye obis gesunt ist wen walsche nusse, lyde och nicht obir mosse hunger addir dorst.

Werdin dir dy swelle so nym dunne gemalen sennf vnde hollendorn bletter vnde dryalzel vnde stos daz czu sam̄ene vn legis dar uf glich also eyn plastir hostu nicht dryalzel so tu dar czu weyn essick adir andern essig adir nym surteyg vnd salbige dy czu rebin adir czu stosin ist vn legis dar uff, vorsuch welch du wilt, saltu lebende bliben so lydestu daz dar uff, adir saltu sterbin so kanstu is nicht gelyden. Wenne dy swlst adir swer ruff vnde weych syn, so offene sy so wert der siche gesunt Amen.

Wedir alle vorgiftenisse ist gut des morgins nuchtirn genommen holworcze welsche nusse rute vnde knobloch muschaten vnde essig so man des me gehabin mag.

Man sal ouch mydin stangk vnde damph vnde bosse luft nacht vnde tag. Reynicheid vnde frolicheid yn gote vnde gut gemuthe ist gut.

Wer sich yn der czeyt wor der suche behuten wil der neme salvienbletter vnde hollendorn bletter vnde brombern bletter dy uf den ledigen adir uf dem ackere waschen, gliche fel, vnde syde daz yn frischen wyne vnde thu darczu gestossen ingeber vnde trinke daz des morgens er du us deme huze geist.

Ouch ab dir icht uff stheest so nym rute vnde wermuthenworczelen vnde czu stos daz vnde gus essigk dar uff adir dynn selbigis mist.

Der mensche sal nicht slaffen de vor dy suche lassin wil, slefft her vor dem lassin, so hilft daz lassin nicht.

Ouch ist dryakel gut alle morgen genommen met essigke vnde ondir daz antlitz gestrichin so daz nicht yn dy ogen komme.

Stoss rute vnde salvie vnde wermute vn gus dar uf guten essigk vnde das dry nacht weyche vnde nym denne weyssin brot vnde neczcze daz daryn, vnde las weder truge werden daz halt vor dynen munt vnde ruch dar an wen du uz geist. Nym wormuthe vnde swertelworcze vnd edera vnde stos daz, weyche daz yn weyn essicke vnde lege daz uf das ser (swer?)

Ouch nym saluie rute vnde walsche nusse gliche vil vnde stos ytzeliches besunder darnach thu daz czusamene vnde thu es yn eyne busche vnde thuth fygen dar czu, des is alle morgin eyn weyningk nuchtirn das bewaret dich vor der vorgift etc. etc. (fol. 289b).

JOHANNIS JACOBI MONSPESSULANI
DE PESTILENCIA. *)

BIBL. UNIV. VRATISLAV. III. F. 7. FOL. 273. (COD. SEC. XV b).

SEQUITUR DE PESTILENCIA.

Ad honorem sancte et indiuidue trinitatis et uirginis gloriose et ad utilitatem rei publice volo aliqua de pestilencia scribere que nos frequencius invadit quam fecerit antiquitus et ideo pauci antiqui per experienciam ab eis habitam pauca dicere poterunt. Videatur ergo primo de causis vnde sciendum quod pestilencia venit quandoque a radice inferiori solum et quandoque a superiori solum, ita quod essentialiter nobis non apparet inmutacio in aere et quandoque venit

---

*) Joannes Jacobi a. 1364 Cancellarius fuit Universitatis Monspessulanae. Quamquam haec eius nominatio non legitima, neque auctoritas Nuntii pontificii iusta esse perhibetur, unde tot dissensiones sunt ortae: A. 1370 Avenionem vocatus est ut Urbanum V. P. M. curaret, a quo ex Italorum rationibus 40 fiorini nuovi della Regina (singuli 23 soldi erant) accepit. Postea etiam Gregorius XI (intra a. 1371 et a. 1378) eum arcessivit eiusdem auxilio Avenione Clemens VII usus est a. 1384. Praeter Joannem de Tornamira, cum quo a. 1378 inter medicos Francogalliae Regis nominatur, clarissimum medicinae praeceptorem Monspessulani eum fuisse non potest negari, quem et Raimundus Chalin inter celeberrimos totius aetatis suae medicos enumerat, et Guy Chauliac socium suum vocat. (Chir. Tract. II. doctr. I. cap. 1.) Scripsit „Thesaurarium medicinae“ quod num publici iuris factum sit, equidem ignoro, alterius operis, cuius titulus est „Secretarius practicae medicinae“ codex ipsius manu scriptus, exstat in Reg. bibliotheca Parisinensi (Cod. 6157). Cf. de eo Astruc et inprimis Marini degli Archiadri Pontefici.

Ex notis Henschelii.

ab utroque, a radice inferiori venit solum ut nos videmus ex latrina prope cameram uel ex alia reparticulari corrumpente aerem in substancia et qualitate et est particularis et ista potest accidere omni die et inde potest prouenire febris pestilencialis et multi medici sunt decepti non credentes talem febrem esse pestilencialem et ideo male sciunt curare. Quandoque autem venit pestilencia a re inferiori multum magna et tunc potest eciam dici pestilencia verabilis (?) ut accidit ex cadaueribus mortuorum ut post bellum uel ex corrupcione stagnorum et consimilium et ista eciam frequenter potest accidere ut apparet in Sardinia et locis corruptis. Quandoque autem uenit pestilencia a re superiori solum quantum ad nostram apparenciam quia nos non videmus aerem corrumpi sed a uirtute celesti humores et spiritus corrumpuntur in animali et de ista dicit Auicenna libro 4to. Et ex forma celi et in ista pestilencia cicius quandoque leduntur corpora que existunt in bono aere quam que existunt in malo *ut nos vidimus incarceratos nichil pati* et habitantes iuxta stangna et habitantes in montibus moriebantur et de ista dicitur in libro de retardanda senectute quod pestilencia brutorum non transit ad racionabilia nec e contra et sic videmus quod quandoque homines moriuntur et animalia non quandoque boues et alia non et quandoque oues uel perci etc. et in ista pre ceteris est bonum fugere et qui potest esset bonum fugere longe. Quandoque autem uenit pestilencia ab utroque scilicet radice superiori et inferiori nam inpressio celestis corrumpit aerem et uegetabilia manifeste et tunc humores et spiritus corrumpuntur et ab inferiori et a superiori et sic causantur morbi in corpore et tales morbi sunt quandoque febres sole. quandoque apostemata sola quandoque apostemata et sequitur febris et secuntur apostemata. verum tamen est quod apostemata ut plurimum fiunt in emunctorys membrorum principalium quia materia venenosa magis membra principalia inuadit febris autem pestilencialis semper est continua et humoralis putrida et bene potest exacerbare.

Differencia autem inter ipsam et alias febres putridas est quia in pestilencia fumi putridi venientes ad cor de min. sunt magis venenosi. Item quia aer inspiratus est venenosus et corruptus et debet cor inuare et nocet et cor a uirtute celesti leditur atque natura multipliciter agrauatur ymmo in tantum quod non percipit suam

lesionem et immo apparent bone vrine et bone egestiones et passus tendit ad mortem et multi medici male viderunt istum passum sed garriunt superficialiter dimittentes medelam. Ista sufficiant de causis.

Signa sunt tradita visis causis et per signa aliarum febrium ideo non curo denigrare papirum. Sed moueantur due questiones prima quare vnus moritur et alter non uel in ista villa uel domo et alia non. secunda questio est si tales morbi pestilenciales sunt contagiosi. Ad primam dico quod ex parte agentis influencia direccius respicit istum quam alium et istum locum quam alium. Et ex parte passi (pacientis?) quia iste est magis dispositus quam alter, et corpora magis disposita sunt corpora calida latorum pororum et corpora infecta habencia poros opilatos malis humoribus et corpora a quibus fit magna resolucio ut homines abutentes coitu uel seruientes in balneis et homines qui calefiunt magno labore uel magna ira.

Ad secundam questionem. Si tales morbi sunt contagiosi dico quod sit quia a talibus corporibus effumant fumi venenosi corrumpentes aerem et humiditates et ideo est fugiendum ab infectis ymmo tempore pestilencie nullus debet stare in cumulo gencium quia potest esse quod aliquis illorum est infectus et idcirco medici et seruitores infirmorum debent stare de longe et tenere faciem uersus portam uel fenestram et pacienti esset bonum frequenter mutare cameram, fenestre uersus borream uel uersus oriens aperiantur sed uersus meridiem teneantur clause.

Istis visis videamus qualiter quis debeat preseruari. primo precaueat ab aere corrupto fetido uel infecto et eligatur domus munda. Camera sit media non inferior reumatica quia aliter si non esset reumatica esset melior sed superior non habitetur melius enim attingitur ab influencia dicta tempore turbido et nebuloso melius est stare infra domum quam extra. ymmo non est bonum ire per villam sed in aliquo ocupari infra domum in qua sint pauci domus irroretur specialiter in estate cum aceto et rosis uel folijs vitis, ymmo est bonum ualde frequenter in die lauare manus cum aqua et aceto et post tergere faciem et odorare ymmo credo quod estate et hieme est bonum odorare acetosa si est mortalitas quia timemus calefaccionem et ideo non laudo pomum ambre, ymmo forte ducit ad cor aerem corruptum. In domo semper teneatur ignis quia multum im-

pedit inpressionem nam nos videmus quod lapis magnes si fricetur cum albo ovi non attrahit ferrum. Ita eciam videmus quod ignis impedit inpressionem celestem et purificat aerem.

De cibo dico quod semper sumatur cum aliqua acetositate et sit subtilis bone digestionis resistens putrefaccioni et in minori quantitate quam alio tempore. Sed si frequencius sumeretur non esset malum nam tali tempore nullus debet pati famem nec sitim et ideo ymmo quando dies sunt magni inter prandium et cenam esset bonum accipere bolum panis uel dragetam uel modicum de piro uel pomo et bibere vinum limphatum competenter, Carnes grosse et viscose euitentur et pisces pro posse et acuta ut cepe et allia et similia fiant salsamenta et potagia cum aceto et suco citri et acetosa et speciebus conuenientibus dimittendo piper et multum acuta omnia dulcia dimittantur pro posse que excedunt in dulcedine. hic est pelagus magnum in quo quis piscari potest si tempus adesset ut dicit Auerroris, itaque dimitto. Omnes fructus debent vitari nisi acetosi ut cerasa acria uel mala granata uel modicum de piro uel pomo in via medicine et non in via cibi, lac amigdalarum eciam prodest in preparacione aliorum ciborum sed lac animalium et caseus euitetur. Herbe que secuntur possunt sumi et alie dimittantur. Maiorana saluia lactuca cum aceto acetosa scabiosa sunt bone utilitatis ymmo de raro vidimus qui sumeret vnum bolum acetose de mane et alium de uesperis quod pateretur in pestilencia et hoc in me ipso probaui. inter cetera mundi que in cibo sumuntur utilia sunt acetum sucus limonum sucus citri aqua acetose buglosse et mellisse.

Exercicium sit debile et sine violencia et in loco mundo in quo tunc non percuciat sol nec radij lunares. Sompnus de die non prodest et ideo si fit sit tarde acomestione remota zona et calciamentis et capite alto et a frigore precaueatur, balnea euitentur nisi in extremitatibus. Coitus et ira et nimium gaudium euitentur. nam cito apparet eorum mala inpressio. fiat flebotomia semel in mense nisi etas uel aliud prohiberet ut apparet in pregnante et multum debili vel in pacientibus fluxum et fiat de basilica dextra uel sinistra et antequam fiat comedatur bolus panis intinctus in agresta uel plenum cocliar de granis malorum granatorum. Sumatur bis in septimana de tiriaca ad quantitatem fabe cum vino albo aquato uel cum

aqua acetose quae multis plus placet vel sumatur puluis factus de radice tormentille. Eciam potest sumi puluis formatus a Rasi et Auicenna qui talis est. Recipe aloes cicotrini croci orientalis de ortensi non loquitur nec de eo intelligi debet quia non est cordialis ana drachmas duas mirre drachmam semis, fiat puluis subtilis et talis potest recipi cum sirupo acetoso uel cum sirupo dehibes ad quantitatem drachmae j et dimidiae uel quia est amarus fiant pillule de predicto puluere cum predicto sirupo. talis enim puluis magis sumitur ad preseruandum quam ad laxandum licet ualeat ad utrumque lapis bezaraicus videlicet contra omne venenum a quo dicuntur medicine tiriales bezaraice. valet eciam bolus armenicus quocunque modo sumptus in parua quantitate et eciam semen citrali et radix tormentille et tiriaca et ista tria tenent principatum.

Si autem morbus pestilencialis euenerit aut est febris sola uel cum apostemate. Si est febris sola si venter non est laxus prouocetur cum suppositorio uel clisteri post fiat flebotomia de basilica et parua quia in talibus est uirtus debilis et materia multum mala et quandoque non multa quia parua multum propter suam maliciam et ideo fiat flebotomia parua licet aliqui a longe speculantes timeant commocionem quia credunt quod materia sit quieta in febri pestilenciali. Et dieta teneatur ut in acutis quantum ad cibum et potum verum tamen licet parua quantitas sumatur frequencius debent cum aliquo confortari ut supra dictum est propter deperdicionem spirituum et aliter perderent appetitum. Et illi qui viriliter se habent in comedendo euadunt et viuunt ut dicit Auicenna libro 4to Non debent sustinere sitim sed in potu aliquid acetosum admisceatur ut est vinum malorum granatorum sirupus de ribes uel sirupus limonum uel sucus citri, Caueatur a forti medicina et maligna quia tales frequenter per fluxum uentris moriuntur. Sed cassia fistula tamarindi reubarbarum viole pruna et quandoque clistiria possunt administrari si autem febris sit cum apostemate tunc fiat flebotomia per modum qui sequitur. Si dolor uel apostema est retro aurem uel prope fiat flebotomia de vena cephalica eiusdem brachij uel de vena que est inter pollicem et indicem nam materia venenosa magis invadit cerebrum. Si autem dolor uel apostema fuerit in subascellis uel prope fiat flebotomia de basilica eiusdem brachij uel de

vena que est inter auricularem et alium digitum quia tunc materia inuadit cor. Si autem dolor uel apostema fuerit in ingwine uel retro finem ani fiat flebotomia de zaphena eiusdem partis seu pedis in parte domestica uel siluestri quia tunc materia venosa invadit epar.

Supra locum apostematis non ponatur tiriaca quia ipsa propellit venenum ante se et eciam faceret ipsum profundari ut declarat Arnoldus de villa noua in speculo in caseo recenti intoxicato. Semper medicus habeat mentem ad confortandum cor et istud pro alio remedio non dimittatur sed epithimetur cum aqua acetose et aqua rosarum et aqua scabiose et mellisse et sandalis et rosis et modico aceti, post apostema uersus cor ponatur tiriaca si possibile est et fiat electuarium tale. Recipe triasandali diadragantee fr.........ana drachm unam et semis conserue rosarum drachmam semis. conserue buglosse drachmas duas. seminis acetose drachmam seminis citrioli scrup. j panis zuccari caphatini drahmam unam margaritarum zaphirorum ana scrupulum. semis pannorum auri quindecim fiat conditum ad modum zuccarae rosatae et si sit siccum poteris irrorari cum aquc rosarum, De predicta confeccione potest paciens accipere in die frequenter cum aqua simplici uel ptisana uel aqua acetose secundum oblectamentum pacientis. Pauperes accipiant zuccaram rosatam cum aqua frigida et modico aque rosarum in hieme si febris non esset potest dari cum vino limphato bono. Apostemata nunquam debent repercuti et ideo supra non ponatur acetum nec oleum enfanginum nec plantago, Aliqui medici in hoc ualde errant placeret autem mihi quod de super nunquam apponatur cauterium actuale in puero timens de dolore sed ponantur atractiua ut sanguisuga limacia viua uel culus galli viui super quem sinapisetur sal tritum et teneatur super apostema donec moriatur post mutetur vel fiat tale emplastrum. Recipe ficuum siccarum bene pinguium decem, vuarum passarum mundarum ab arillis et corticibus unciam unam salis nitri drachmas tres fermenti acris drachmas tres olei camomille quantum sufficit ad incorporandum totum simul pistetur et modicum calefiat et fiat emplastrum et superponatur. Vel sic. Recipe fermentum malaxetur fortiter cum suco scabiose et fiat emplastrum Vel fiat emplastrum de vitello oui cum sale et suco scabiose. Si autem esset ignis persicus in quo non apparet tumor magnus sed nigredo et combustio et cito dilatatur fiat tale

emplastrum Recipe malorum granatorum acetosorum quantum volueris frangantur et cum aceto coquantur demum bene terantur et totum extendatur super pannum uel alutam et de super applicetur et sic fiat a principio usque ad finem apostematis postquam apostema ruptum fuerit quodcunque sit manui cirurgicali demittatur quia non est presentis speculacionis. Et hec dicta per me Johannem Jacobi sufficiant causa breuitatis anno domini 1373. 15 die mensis Februarij in preclaro studio montis pessulani, Multa tamen addi possunt Sed si aliqua dicta sint minus bene precor quod cum humilitate reprimantur et bene dicta cum gaudio recipiantur etc.

Explicit.

VITA.

Natus sum, Hermannus Cohnsberg, Judaeus, Vratislaviae die XXVII. m. Novembris a. h. s. XXIV patre optimo Henrico, matre carissima Johanna e gente Pulvermacher, quam iam defunctam lugeo. Primis elementis literarum imbutus Gymnasium Elisabetanum adii, quod sub auspiciis viri Ill. Dr. Reiche florebat et per tres annos ibi versatus, scholae, quae dicitur Realschule adscriptus sum, quae rectore Dr. Kletke V. Cl. floret vigetque. Tres et dimidium post annos testimonio maturitatis instructus anno h. s. XLI hanc almam literarum sedem ingressus sum et a viro Ill. Dr. Elvenich t. t. rectore Magnifico inter cives academicos receptus nomen apud Ill. Thilo t. t. decanum ordinis Philosophici amplissimi dedi. Nec non biennio praeterlapso in Gymnasio Fridericiano rectore Dr. Wimmer Viro Cl. florenti testimonium maturitatis adeptus ad gratiosum Medicorum ordinem transii cuius Decanus Ill. Purkinje fuit.

Hisce interfui scholis:

Philosophorum:

Ill. Braniss de psychologia — de introduct. in philosoph. recent. temp.
Ill. Elvenich de oratione pro Archia poeta — disputat. de Cartesii philosophia.
Ill. Fischer de chemia experimentali — de chemia pharmaceutica.
Ill. Glocker de Mineralogia.
Ill. Gravenhorst de Zoologia.
Ill. Haase de Tibullo — de Syntaxi lat.
Ill. Kutzen de Geographia universali.
Ill. Kummer de Algebra.
Ill. Duflos de Chemia pharmaceutica.
Ill. Kahlert de Aesthetice.
Ill. Nees ab Esenbeck de introduct. in philos. speculat. — de botanice generali.
Ill. Pohl de physice experimentali — de phaenom. electro-magnet. et magneto-electric.
Ill. Stenzel de historia saec. XVII.
Ill. Rohovsky de Cic. fin. bon. et mal. — de Platonis Phaedro.
Ill. Thilo de logice, — de hodegetice.

Medicorum:

Ill. Barkow de anatomia corporis humani universa, nec non de anatome comparativa et anatomia pathologica.
Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis rite applicandis. Praeterea examinatorio de

chirurgiae doctrinis, interfui, idemque dux mihi fuit praeclariss. in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis.

Ill. Betschler de arte obstetricia, de gynaecologia generali, de morbis sexus sequioris, de explorationibus obstetriciis.

Clar. Burchard de operationibus obstetriciis et de morbis infantum.

Ill. Goeppert de arte medicas formulas concinnandi, de universa materia medica, de pharmacologia, de plant. anatome et physiologia.

Ill. Henschel de encyclopaedia et hodogetice medica, de pathologia generali, de semiotice, de historia rei medicae.

Ill. C. L. Klose de therapia generali — de medicina forensi.

Ill. beat. Otto de anatome corporis humani, de historia foetus, de osteologia et syndesmologia.

Ill. Purkinje de physiologia universali, de physiologia sensuum.

Ill. Remer de therapia speciali.

Cel. Remer de morbis syphiliticis.

Exper. Reimann de auscultatione et percussione.

In theatro anatomico Ill. beat. Otto et Ill. Barkow, in excursionibus botanicis Ill. Goeppert, in clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis Ill. Remer sen., Ill. Benedict, Ill. Betschler duces mihi fuerunt benevolentissimi atque praestantissimi. Adiuverunt me in clinicis exercitationibus D. D. exper. A. et C. Benedict, Koehler, Methner, Reimann.

Quibus omnibus viris, quum tentamine philosophico et medico, atque examine rigoroso superato iam in eo sim, ut summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur, maximas ago gratias eorumque discipulum me fuisse semper gloriabor.



THESES.

I.

Syphileos vis per tempora non mitior facta est.

II.

Hypothesis necessaria est progressui disciplinarum naturalium.

III.

Adveniente Cholera res et homines in statione retineri non tam utilitatem quam damnum affert.

IV.

Missio sanguinis in homine erecto missioni in iacente est praeferenda.

V.

Medicinae auxilio omnibus opus est.

